



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XI. Idem a Lucensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

NOTÆ.

^a *Sancti Benedicti de Nevia.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 11.* post Concil. verò Later. *part. 50. cap. 17.* legitur tantum *Sancti Benedicti.* Illud semper constat, in præfenti alloqui Pontificem cum Abbate monasterii Sancti Benedicti, sed non exprimitur, cu-

jus dicecesis, vel provincie.

^b *Ab altaris obsequio.*) Varia pro hujus textus expositione adduxerunt Anguianus *lib. 4. de legibus, cap. 4. num. 36.* Suarez. *de censur. disput. 46. sect. 2. num. 10.* Genuensis *practic. qu. 660.* Wilembach. *disput. 4.* Franciscus Valens *tom. 2. concord. jur. fol. 321.* Sed veram ejus interpretationem adduxi in *cap. 2. supra hoc tit.*

CAPUT XI.

Idem ^a *Lucensi Episcopo.*

DE cætero noveris, quod diaconus, quem literarum honestate præditum asseris, qui homicidio causam dedisse videtur, sicut ex tenore tuarum literarum perpendimus, non videtur ad sacerdotium promovendus.

NOTÆ.

^a *Lucensi.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 12.* ubi additur *pars capituli Consuluit.* Unde cognoscitur in præfenti referri partem textus in *cap. consuluit 4. qui clerici vel vovent.* ubi notavi.

COMMENTARIUM.

sponte curasset humiliter confiteri, ipse penitentiam & contritionem ipsius attendens super beneficio Ecclesie de Stabulis, quam in Archidiaconatu tuo, fili Archidiacone, adeptus fuerat, misericorditer dispensavit, ut ipsum, quoad viveret, possideret: mandans eidem, ut ad Sedem Apostolicam accederet, mandatis super officio Apostolicis pariturus. Quia verò in hoc, non ex voluntate (sicut asserit) sed casu deliquit, discretioni vestrae per Apostolica scriptura mandamus, quatenus si verum est quod asserit, factam cum eo misericordiam attendentes, & quod à dicto Archiepiscopo factum est ratum habentes, & firmum, eum super beneficio prædicto propter hoc nullatenus molestetis, aut patiamini ab alio molestari. Datum Romæ apud S. Petrum. Illustrant ultra congestos à Barbofa in præfenti, Pantoja de aleat. ad l. 2. n. 45. Vighol. in metodo jur. can. fol. 266. Petrus Greg. lib. 4. part. tit. 13. cap. fin. Gutierrez lib. 2. canonic. quest. 6. Claudius Elpencus ad epist. D. Pauli, lib. 2. digress. cap. 3. Suarez de censur. disp. 45. sect. 5. Franc. Valens in concord. juris fol. 321. Diana part. 1. tract. 6. refol. 25. Majolus de irregul. lib. 5. c. 8. §. 3. Vgelin. eod. tr. cap. 18. §. 1. Sayrus lib. 9. de censur. disp. 32. Bonacina eod. tract. 2. num. 28. Avila, Layman, Lelsius & alii, quos refert Gibalinus de irregul. cap. 4. regul. 2.

^{2.} Sed in hanc assertionem, quæ duplicem continet partem, duplici etiam insurgo dubitandi ratione; & primò in eam partem ubi asseritur, ob homicidium casu admissum, non adhibita diligentia, etiam et si involuntariè, irregularitatem contrahi, sic argumentor. In delictis coercendis animus magis quàm exitus; & affectus potius quàm effectus attenditur. Paulus *lib. 5. sentent. tit. 25.* Quintil. *declamat. 281.* Unde interdum qui hominem occidit, absolvitur; & qui non occidit, pro homicida damnatur, *l. 1. §. Divus, ff. ad leg. Corn. de scar. l. 1. §. qui cum telo, Cod. eod. tit.* isque demum legum pœnis obnoxius est, qui consultò, non ignoranter delictum admisit. Tertul. *de penit. bi. Quid quod voluntas facti origo est? viderint enim si qua casui, aut necessitati, aut ignorantie impulerint: quibus exceptis jam non nisi voluntate delinquitur.* Huc spectat defensio illa, quam attingit Cicero *lib. 3. de Oratore.* & in topicis ad Trebatium. *laceret telum, voluntatis est: ferrum quem nolueris fortuna: ex quo aries ille subicitur in vestris actionibus, si telum manu fugi potius quàm jecit.* Vbi Boëtius ita explicat: *Si quis cadis accusetur, optima solet esse defensio, fugisse manu telum, & magis quàm voluisset.*

^{1.} In his quinque decisionibus præcedentibus, & in sequentibus usque ad finem tituli præcipue agit de homicidio casuali; & varii casus deciduntur circa illud culpabiliter, vel non admittendum; ita ut illud committens maneat irregularis, vel non. Et communiter repetentes, & antiquiores, tam Theologi, quàm Jurisperiti sub sequenti distinctione ea jura accipiebant, & exponebant, videlicet, ut dans operam rei illicitæ, homicidio sequitur, etiam involuntario, irregularis maneat; dans verò operam rei licitæ, immunitus sit ab omni irregularitatis nota, si adhibeat diligentiam, quam debebat adhibere. Sed vetiorem, & magis juribus sub hoc titulo compilatis consonam credo distinctionem noviter explicatam à Gibalino *c. 4. §. 4. per totam,* juxta quam sequentem assertionem disputandam propono: *Qui lethaliter peccat ob non adhibitam diligentiam in homicidio præcavendo, irregularis manet, sive rei licitæ, sive licitæ operam dederit. Qui verò nullam lethalem culpam admisit, et si sequatur homicidium omninò casuale, & involuntarium, irregularis non manet, sive rei licitæ, sive illicitæ operam dederit.* Quam conclusionem firmant, seu juxta eam procedunt textus in *cap. presbyterum 7. cap. continebatur 8. cap. lator 9. cap. suscepimus 10. cap. de hoc 11. cap. dilectus 13. cap. exhibitus; et l. 1. §. 2. cap. significasti 16. c. tua nos 19. cap. Ioannes 23. cap. quidam 25. hoc tit. c. questum 17. de panis. & remiss. cap. miror, cap. si quis viduam, & ferè per totam 50. dist. Innoc. III. *lib. 1. epist. apud Sirletum fol. 90.* ibi: *Exposuit nobis dilectus filius M. presbyter de Stabulis, quod cum olim invitatus à quibusdam pueris de manu unius eorum arcum receperit, & sagittam, & eam dirigere voluerit in arborem que obstabat, manu errante sagitta eadem discurrens per aërem, puerum quendam valde distantem modicum vulneravit in capite: propter quod idem puer creditur postmodum exspirasse. Quod cum idem presbyter bone memoris G. prædecessori tuo, frater Archiepiscopo,**

voluisset, jecisse. Faciunt textus *in cap. si homicida* 23. *quest. ex 5. l. si plagis* 52. §. *in clivo*, ff. *ad leg. Aquil. Paulus lib. 5. sentent. tit. 23. §. qui hominem* Seneca *lib. 4. de benefic. cap. 34.* Illultrat. Cujac. *lib. 19. observ. cap. 10. & lib. 6. different. Modest. in l. si feruum* 27. ff. *de accusat. notavi in can. 5. Concil. Illiber.* Igitur ob homicidium casuale, & involuntariè commissum non debet tam gravis pœna, irregularitatis videlicet, imponi. Secundo in secundam partem assertionis, ubi docetur ex homicidio casuali, adhibita omni diligentia commissio, irregularitatem non nasci, argumentor ita. Omni jure ob homicidium casu admissum, etsi involuntariè, aliqua pœna statuta est, nam apud Græcos homicidium casu admissum exilio plectebatur, *aut facta* 16. §. *eventus* ff. *de pœnis*. Demosthenes *in oratione contra Timocratem*, & *contra Midiam*, quam transcriperunt Gratianus *sub distinct. 1. de pœnit.* Harmenopolus *in promptuar. jur. lib. 6. tit. 6. §. 12.* & pro jure Græco Romano proposuit Ataliam in Synopsi Basilic. *tit. 78. his verbis: involuntaria cedes exilium irrogat.* Ex Platone, & Pausania ita legem accepit Samuel Petitus *ad jus Atticum lib. 7. tit. 1. Qui alium casu fortuito necasset, extra fines annu patriæ exul esto* Apud Romanos etiam exilium quinquennale pœnam fuisse patriæ cædis imprudenter, prodit Quintilianus *lib. 7. inst. cap. 4. & declam. 96. & 305* ad quam pœnam respexisse videtur Ulpianus *in l. 4. §. ff. ad leg. Corn. de sicar.* quæ restituenda est ex patiatore legum Mosâicæ & Romanor. *tit. 1.* Illultrat Rodulp. Forner. *lib. 3. rer. quotid. cap. 17. & lib. 6. cap. 24.* Guillel. Forner. *lib. 1. select. cap. 10* Scipio Gentil. *lib. 1. pareg. cap. 31.* Solorzanus *lib. 2. de pœna parricid. cap. 17.* D. Nicol. Anton. *lib. 1. de exil. cap. 6.* D. Ioannes Suarez *lib. 1. ad leg. Aquil. cap. 2. sect. 9.* Grotius *in floribus ad textum in l. aut facta* 16. ff. *de pœnis*. plenius notavi *in d. can. 5. Concil. Illiber.* & juxta sacros canones pro homicidio facto, & imprudenter admissio quinquennalis pœnitentia injungitur in Concilio Anconitano *can. 22. relato in cap. eos* 42. *50. dist.* Concil. Epau. *can. 3.* D. Basil. *ad Amphilocho. can. 11* ibi: *Qui autem involuntariam eadem fecit, in undecim annis abunde judicio satisfecit.* Et *can. 51. 56. & 57.* quorum verba refert Anton. Augustin. *in epit. jur. lib. 35. tit. 1.* Igitur si in homicidio casuali, & per imprudenciam admissio culpa datur pœnitentiæ expianda, debet talis homicida irregularis manere, præcipuè, cum ad irregularitatem contrahendam propter homicidium non desideratur culpa, ut contingit in Judice reum justè ad mortem condemnante, qui ob lenitatis defectum irregularis manet.

3. Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cujus expositione scire oportet, irregularitatem, de qua in præsentis titulo agitur, communiter ita definitur, ut sit *Canonicum impedimentum ex homicidio proveniens, quo quis prohibetur, ad ordines Ecclesiasticos promoveri. & in eisdem ministrare.* Quam adduxerunt Villadiego, Majolus, Gibalinus, & alii communiter scribentes de irregularitate. Dixi canonicum impedimentum, quia hæc irregularitas omnino est juris ecclesiastici, non verò juris divini; nam in lege veteri homicidæ poterant in sacerdotio ministrare, ut refertur *in cap. nos incompetenter*, §. *ista* el. 2. 2. *quest. 7. & in cap. non inferenda* 23. *quest. 3.* ubi D. Ambrosius refert Mosem Ægyptium quemdam interfecisse: quod etiam habetur *Exodi cap. 2. & tamen is Dominus altare erexit, & consecravit, ut refertur Exodi*

cap. 31. & in cap. 1. de consecr. dist. 1. & probatur ex cap. is qui, de sent. excom. lib. 6. ubi docet Bonifacius VIII, irregularitatem non contrahi nisi in casibus à jure Pontificio expressis: Facit textus *in cap. 2. de cleric. pugnans.* docuerunt Villadiego, & Majolus *supra*, Covarruv. *in Clement. si furiosus*, 1. *part. in initio*, num. 3. & 2. *part. §. 3. num. 3.* qui inde rectè inferunt, quod cum Pontifex sit supra omne jus positivum, in quacunque irregularitate ex homicidio etiam voluntario proveniente dispensare potest. Nec contrarium probat textus *in cap. miror. 50. dist.* ubi doceri videtur, non posse Romanum Pontificem cum clerico homicida dispensare; nam omnis variis interpretationibus adductis per Archid. & Præpositum, respondendum est, Episcopum, de quo ibi mentio fit, non petisse à Pontifice, ut cum clerico homicida dispensaret, sed tantum ut approbaret factum ipsius Episcopi, qui dispensaverat, ut ulterius homicida post peractam pœnitentiam celebraret: quod asperè reprehendit Pontifex, & egrè fert: tum quia sacerdotio privatus prius debuit lachrymarum fonte tam immane flagitium diluere ut talibus remediis curatus, salutis possit invenire suffragium. Tum etiam, quia voluit ostendere Ioannes Pontifex illius textus auctor, non esse Episcopis concedendam licentiam ad dispensandum cum clerico homicida, ut post perpetratum homicidium possit in sacerdotio ministrare: quod adeo verum est, quod prohibeatur etiam Episcopis dispensare circa irregularitatem ex homicidio occulto proveniente. Concil. Trident. *sess. 24. de reform. c. 6.* Covarr. *in d. clement. parte 2. §. 3. n. 4.* Sylvester verbo *Homicidium* 3. *quest. 8.* Navarr. *in Manual. cap. 27. num. 240.* quamvis Summus Pontifex in ea irregularitate facilius dispense, quia cessat scandalum, juxta textum *in cap. nisi cum pœnitentia, de renunc.* Poterit Episcopus dispensare in homicidio justo occulto, *ex dist. cap. 6. Concilii Trident.* ut probabile dicit Marinus *lib. 1. resol. cap. 105.* quamvis ipse contrariæ sententiæ adhareat. Et cum homicida voluntario dispensari posse quoad beneficium simplex obtinendum, ex textu *in d. cap. 2. de cleric. pugnans.* docuerunt Socinus & Felinus *in cap. ad audientiam, hoc titulo.*

Nec supra traditæ sententiæ obstat, quod Apostolus *ad Timoth. cap. 3.* prohibuit homicidam ministrare in sacerdotio, unde videbatur impedimentum hoc esse juris divini, nec Pontificem in eo posse dispensare, juxta textum *in cap. sunt quidam* 25. *q. 1.* Nam respondendum est, quod licet in his quæ pertinent ad articulos fidei, non possit Pontifex dispensare contra Apostolorum decreta, in aliis tamen potest, ut docet glossa verbo *Apostoli, in d. cap. sunt quidam.* quam sequuntur Turrisremana *in summa, lib. 3. cap. 54. & 57.* Dominic. Sotus *lib. 5. de justit. quest. 1. art. 4.* & notavimus jam *in c. de bigam. non ordin.* Nec etiam obstat textus *in c. 22. & 28. Paralip. lib. 1.* ibi: *Non edificabis mihi templum, quia vir sanguinis es. Quæ auctoritas etiam habetur lib. 2. Regum, c. 7. & in cap. 1. de consecr. dist. 1. & in cap. si quis omnem, junctâ Glossâ verbo Et quod dixerit, 1. q. 7.* Unde videtur impedimentum hoc provenire à jure divino. Nam respondendum est, auctoritatem illam esse intelligendam figurativè, illud enim templum designaverat Ecclesiam Catholicam quæ fundanda erat in pace, & charitate, juxta illud Pauli *ad Ephesic. 4. Solliciti servate unitatem spiritus in vinculo pacis.* Ecclesia enim, & ejus ministri servare debent lenitatem, & mansuetudinem

dinem Christi, cap. pena, cap. unum solum, 23. q. 5. tradunt D. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. & q. 64. art. 4. ad 3. Prapof. in cap. miror, 50. dist. Sorus d. lib. 5. de iustit. q. 1. art. 4. unde ut figura responderet figurato, oportebat templum illud figurativum in pace, & mansuetudine fundari. Et quoniam David Rex bellator erat, & sanguinem fuderat, prohibitus est illud ædificare, ut explicat Glossa verbo Prohibitus, in cap. 1. de consecr. dist. 1. Covarr. d. 2. p. §. 3. num. 3. Pineda de rebus Salomonis lib. 5. cap. 5. sect. 2. Theophilus Raynaud. tom. 17. tract. de relig. loric. fol. 248.

5.
De
vitiis
homi-
cidii.

Dixi in definitione, ex homicidio proveniens, ut comprehenderem quodlibet homicidium, videlicet tam voluntarium, quam casuale, vel etiam iustum. Et licet voluntarium homicidium Theologi appellent omne, quod culpam continet, & delicti expers non est; tamen ex jurisperitorum sententia tantum voluntarium homicidium dicitur, quod est voluntate directa commissum ab habente animum occidendi, vel causam dante actioni voluntarie, l. 1. l. 7. l. Divus 14. ff. ad leg. Corn. de fidei. l. cum autem, vers. Capitalem, ff. de adilit. edict. cap. sicut dignum, hoc tit. cap. 1. §. si quis hominem, de pace tenenda in usibus feudor. Quia ex voluntate, & proposito delicta distinguuntur, cap. cum voluntate, de sent. excom. l. qui iniuria, l. verum, ff. de fure. Requiritur ergo quod dolo malo, animoque occidendi perpetretur, & sequatur actus occisionis; semper tamen desideratur ut hominis cædes contingat, à qua dictum est homicidium, cap. homicidium 23. q. 5. cap. homicidium, de penis, dist. 1. l. 1. ff. ad leg. Corn. de fidei. notavit Cironius ad hunc titulum. Unde inferitur, læventem in cadaver inimici, aut illud truncantem, etiam eo animo, ut si vivum reperisset, occideret, nullo modo irregularem manere. Gibalinus de irregul. 4. p. cap. 4. consecr. 1. Similiter ille, qui odio concepto telo armatus exiit animo occidendi, non tamen occidit, irregulatis non est, licet quoad legem divinam homicidia censentur, D. Hieron. lib. 1. epist. 39. ad Catharinam, ibi: Cum homicidium ex odio sepe nascatur, quinque odit, etiam si nedum gladio percussisset, animo tamen homicida est. Immo & si quis alium vulneravit, sanguisque effundatur absque cæde, aut mutilatione, irregulatis non manet. Majolus de irregul. lib. 5. cap. 48. num. 3. Similiter nec qui sui ipsius mortem attentavit, irregulatis fit. Diana p. 4. tract. 2. resol. 76. licet contrarium teneat Cornejo in 3. part. tract. 5. disput. 1. dub. 2. Inde etiam inferitur, non contrahi irregularitatem hanc ex rati habitatione ejus homicidii, quod jam commissum ab alio est sine proprio mandato, aut consilio. Covarr. in Clementina si furiosus, 2. p. §. 1. num. 4. Majolus de irregul. lib. 5. cap. 48. §. 6. plures quos refert, & sequitur Gibalinus eod. tract. cap. 4. consecr. 15. non enim homicidium perpetravit ille, qui nec mandatum, ut fieret, dedit; & ita irregulatis non est, etsi peccet lethaliter. Nec obstat rati habitationem mandato comparari, regulà Rati habitationem, de R. l. lib. 6. l. 20. tit. 5. p. 3. Sed qui mandavit aliquem occidere, irregulatis est, cap. final. de homicidio lib. 6. Ergo & qui ratum habuit. Augetur, nam pariter puniuntur delinquentes, ac ratum habentes, cap. cum quis; de sent. excom. lib. 6. cap. final. de iurejur. eodem lib. cap. felicitis, de penis, eod. lib. Clement. 1. de penis, leg. licet, ff. de iudiciis. Ergo ratum habens homicidium irregulatis fit. Nam responde-

DD. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

tur, tunc rati habitationem mandato comparari, cum quid nomine meo absque mandato gestum est, quia tunc rati habitio superveniens mandato comparatur: at quod nomine meo non est gestum, ratum habere non possum, cap. ratum, de R. l. lib. 6. leg. si pupilli, §. sed si ego, ff. eod. tit. Nec obstat textus in dist. cap. quicumque, cum aliis proximè adductis; nam in his iuribus delictum ratum habentes ideo excommunicatione ligantur, quia ipsa sententia lata fuit non solum contra delictum perpetrantes, verum & contra ratum habentes, quia cum talis sententia profertur ob injuriam clericis, & statui ecclesiastico illatam, & etiam per rati habitationem ea inferatur, inde ipsa excommunicatione ratum habentes ligantur. Covarruvias dist. §. 1. numer. 57. Nec tantum irregulatis manet, qui homicidium voluntarium perpetravit, verum & qui illud fieri iussit, cap. si quis viduam, 50. dist. cap. significasti, cap. sicut dignum, §. clericis, hoc titulo. Immo & si quis tantum iusserit aliquem verberari, homicidium tamen sequatur, irregulatis manet, cap. final. hoc titulo in 6. Majol. lib. 5. de irregul. cap. 48. §. 2. Petrus Gregor. lib. 5. parviti. tit. 18. cap. 6. Mendoza lib. 2. Concil. Illiber. cap. 6. Diana p. 4. tract. 2. resol. 9. Quod procedit sive homicidium statim sequatur, sive postea, sive occidatur ille, qui mandatum accepit; amplius etiam revocaverit mandatum, inficius tamen mandatarius illud exequatur, irregulatis fit. Majolus ubi supra, Diana dist. tract. 2. resol. 14. etiam irregulatis manet qui alicujus neci causam dedit, cap. Presbyterum, cap. ad audientiam, hoc titulo. cap. studeat, 50. dist. cap. 2. de clerico percussore; veluti qui furem detinuit donec alii supervenissent, qui eum occiderent, cap. significasti, el. 2. hoc tit. qui infirmum in aliud latas vertit, ut celerius moriatur. Majolus d. cap. 48. §. 1.

Non solum hæc irregularitas contrahitur ex homicidio, verum & ex membri mutilatione, seu abscissione. Clement. unic. hoc tit. Gibalinus de irregul. cap. 4. in secunda parte propositionis. An verò tantum ex debilitatione incurratur, quaerunt Interpretes? Affirmat Abbas in cap. cum illorum, de sent. excom. Sed communis est contraria sententia, quam post Covarr. & alios defendit Gibal. dicto cap. 4. notat. 2. desideratur tamen ut mutilatio sit membri, quod habeat propriam, & destinatam operationem per se distinctam à reliquis corporis partibus, non si tantum juvent in sua operatione, ut volebant ex Theologis Cajetanus ad 2. 2. quest. 65. art. 2. & ibidem Aragon, Sorus in 4. dist. 75. quest. 1. art. 3. & ex Moralists Layman. lib. 3. summe tract. 3. cap. 11. Villalobos in summa tract. 21. difficult. 19. num. 4. veluti oculus, auris, nasus, lingua, manus, aut pes, quorum propria operationes sunt videre, audire, odorari, loqui, tangere, & ambulare, ut pluribus relatis probat Barbosa de appell. verb. Digitus, & verbo Membrum. Unde abscindens digitum non fit irregulatis, cap. 1. de corpore vitiat. quia licet habeat officium adjuvandi membrum, per se tamen membrum non est, l. idem O silius, l. quaeritur 14. §. si quis 6. ff. de adilit. edict. Nec obstat carentem digito ordinari non posse, cap. qui partem, 56. dist. nam plerumque mutilatus ob corporis vitium manet irregulatis; qui verò mutilavit, quia membrum non amputavit, irregulatis non fit, ut probat Vgol. de irregul. c. 4. §. 7. Nec etiam obstat textus in can. 77. Concil. Lateran. generalis

Z

generalis

4.
Expo.
nuntur
varia
sacra
pagina
ambob.
riantet.

neralis celebrati sub Alex. III. in illis verbis : *Presbyterum, cui duos digitos cum medietate palme a pradone abscissos significasti, Missam celebrare non permittimus, quia non secure, propter debilitatem; nec sine scandalo, propter membri deformitatem, id fieri confidimus.* Ubi cum Patres de digito egissent, illum membrum appellant. Nam responderetur, verbum illud membri non referri ad digitos, aliàs dicerent PP. *membrosum*; sed ad medietatem palmæ; sufficit enim, ut quis ob corporis vitium ordinari nequeat, quod careat parte membri. Concil. Tarracon. *can. 4.* ibi: *Aut carens aliquaparte membrorum.* Ex proximè traditis inferitur, excæcantes oculos, excutientes dentem, truncantes auriculam, mordentes labra, evellentem capillos, non fieri irregularem, quia partes hæc membra non sunt, *l. quidam ff. de edict. edit.* Barbofa ubi *suprà*, Gibalinus *d. cap. 4. consuet. 16.* Diana *tom. 2. tract. 15. resol. 20. & tom. 4. tract. 2. resol. 26.*

7. Etiam inter homicidas voluntarios recensentur cooperantes homicidio: quod variis modis evenire potest, circa quos ea regula communiter traditur, eam cooperationem inducere irregularitatem, quæ contra quintum Decalogi præceptum culpam mortalem producit: veluti consulens homicidium; consilii enim ratione ut homicida teneretur, quia consulens delictum, ipsius pœnâ afficitur, *l. si quis uxori, §. cum Titio. ff. de furtis, l. non solum, §. si mandati, vers. Attilicinius. ff. de injuriis, Petrus Faber & Gothofr. in l. consili 47. ff. de R. l. vel si quis associet ipsum homicidam causâ defensionis, si opus esset, licet nihil operetur quoad homicidium; ipsa associatio, ob quam homicida redditur audacior, inducit irregularitatem, cap. sicut dignum, §. illi, hoc tit. vel qui venenum paravit, ligna ad comburendum aliquem congestit, aut arma præbuit illi, quem sciebat homicidium perpetraturum fore. Quid verò dicendum sit de illo, qui arma tradidit illi, quem suspicabatur ea petere ad homicidium perpetrandum, dubium est? Irregularem eum esse docent Ugolinus *de irregul. cap. 17. nu. 3.* Suarez *de censur. disp. 45. sect. 3. num. 5.* Diana *dicto tract. 2. resol. 11.* Negat Hurtado *de irregul. disp. 2. difficult. 8. num. 32.* Sed in hoc dubio distinguendum est inter vendentem arma ex officio, seu dantem tempore subitanæ rixæ, dum quis est in procinctu, aut tempore pacis. Primo casu, etsi quis vendat cum suspicione futuri homicidii, irregularis non fit, quia facilè ab alio arma obtinere poterat: secundo verò casu, si illa vendat dum quis est in procinctu, irregularitatem contrahit. Idem dicendum est de eo, qui arma dedit ad occidendum Titium, si non Titius, sed Sempronius occidatur. Gibal. *d. cap. 4. consuet. 20.* Similiter irregularis manet, qui aliquem leviter percussit, si inde ab alio occidatur, vel in flumine mergatur, *cap. studeat 50. dist.* non tamen irregularis fit, contraplurimum sententiam, qui aliquem inebriavit, licet ipse ebrius postea aliquem occiderit, nisi priùs praverit illud periculum adesse. Nec etiam irregularis manet, qui inimicum fugientem persequitur, & ipse fugiens puerum oppresserit. Gibalinus ubi *suprà, consuet. 10.* etiam inter homicidas voluntarios recensentur illi, qui cum possent homicidium prohibere, illud committi permiserunt: nam ejusdem culpæ reus est qui occidit, & qui occisum dum potuit, non defendit, *cap. non est inferenda, cap. final. 23. q. 3.**

cap. sicut, §. 2. hoc tit. cap. periculosè, de pœnit. dist. 1. cap. quanta, de sent. excom. D. Ambrosius lib. 1. de officiis, cap. 36. Arnob. *lib. 4. advers. Gentes;* æquè enim peccat, qui delictum commisit, ut quillud non prohibuit, *l. 3. & 4. ff. de noxal. action. l. scientiam. ff. ad leg. Aquil.* Quod non procedit cum datur pura, & simplex omisio, sed cum ipsa omisio conjuncta est cum aliqua dolosa subtractione, & cum quis tenebatur proximum ex justitia defendere; tunc enim omittens defensionem irregularis manet, ut post Navarrum in *dict. cap. non est degerenda*, docent Gibalinus *d. cap. 4. consuet. 13.* Diana *d. tract. 2. resol. 7. & p. 7. tract. 10. resol. 3.* unde inferitur, judices non obviantes homicidio irregulares esse, *d. cap. non est inferenda.* Similiter & negantem eleëmofynam fame pereunti, *cap. pasce, 96. dist.* Similiter & qui se obligavit aliquem defendere, si eum non defendat, *l. mecum, sed licet ff. de eo qui metus causâ.* Similiter filii, & vassalli, qui tenentur defendere patrem, & dominum, *l. 1. §. occisorum, ff. ad Syllan.* Item advocatus, & procurator, qui dolosè defensionem omittunt, ut reus ad mortem damnaretur. Item ille, qui ramum abscidit illi, qui cum in flumine mergetur, illum apprehenderat. Deinde Medicus, qui publico stipendio conductus ægrotum dederit, & sic decessit. Idem dicendum est de gubernatore navis, qui post susceptum regimen, illud deseruit, & imperitio commisit, unde naufragium sequutum est. D. Thomas 2. 2. *quest. 6. rursus si Pater filio, Dominus servo, maritus uxori alimenta negaverint, & fame decedant, irregulares fiunt, cum eos alere jure teneantur, l. 1. ff. de agnos. liberis.*

Hæc de homicidio voluntario. Sequitur casuale quod casu, & præter intentionem agentis committitur, quia ut Aristoteles ait *lib. 7. phy. De homicidii* *casus est causa agens præter intentionem.* De quo agit in *l. 1. §. Divus, ff. ad leg. Cornel. de sicariis, l. si putator, ff. ad leg. Aquil.* & passim in hoc titulo: circa quod homicidium communiter distinctio adhibetur inter homicidam dantem operam rei licitæ, & inter eum, qui dabat operam rei illicitæ; ita ut primo casu sequitur homicidio irregularitas non contrahatur, secundo verò casu etiam adhibita diligentia homicida irregularis maneat. Ita docuerunt Covarr. in *Clement. si furiosus, 2. p. d. 4. num. 2.* Ugolinus *de irregul. cap. 18.* Avila *cod. tract. 7. p. disput. 6. sect. 1. opin. 5.* juxta quam distinctionem accipiunt textus in *cap. Presbyterum 7. capit. continetur 8. cap. significasti 18. hoc tit. capit. de his 36. cap. clerico 37. cap. eo verò 42. cap. si quis voluntate 44. cap. is qui arbore 49. cap. sape 50. dist. 50. cap. consuluit. 20. 2. quest. 5. cap. si quis non iratus 15. quest. 1. cap. questum, de pœnit. & remiss.* Sed illis rectè perpenis neutiquam prædicta opinio probatur; quare rectius dicendum est, ex homicidio casuali, sive proveniat ex actu licito, sive illicito, non nasci irregularitatem, nisi ob culpam latam, levem, aut levissimam peccatum lethale detur. Quæ sententia probatur ex *dict. capit. questum, cap. quantum, 50. dist. cap. lator, cap. ex litteris, cap. significasti 16. cap. exhibita; hoc titulo, capit. final. de his qui filios occiderunt.* Concil. Tribur. *can. 35.* fusè probant Gibalinus *de irregul. cap. 4. per totum.* Diana *dict. tract. 2. resol. 2. & p. 2. tract. 16. resol. 18.* Latam culpam appellamus cum quis fecit quod 8. De ho- micio casuali.

facere non debuit cum ignorantia crassa, *leg. leg. 7. ff. ad leg. Corn. de sicariis, leg. magna. ff. de R. l. Levem cum quis non prævicit quod frugi homines prævire solent: quam Consulti culpam appellant in leg. si servus 110. §. cum quidam, ff. de legat. 1. Levissimus paterfamilias prævicit quod diligentissimus cum quis non prævire solet, l. 4. ff. ad leg. Aquil. Extra hos culpæ gradus si quis casu fortuito homicidium perpetraverit, non fit irregularis, quia sicut casus fortuiti à nemine præstantur, l. qua fortuito 6. ff. de pigu. aut. l. procuratore 13. C. mandati, l. in iudicio, Cod. locati, l. contractus, ff. de R. l. ita ex homicidio casu admisso nemo tenetur, l. respiciendum 11. §. delinquitur, ff. de penis. l. ex plagis, §. final. ff. ad leg. Aquil. docent D. Joannes Suarez, ad leg. Aquil. libr. 1. capit. 2. sect. 7. Rodolph. Forner. lib. 6. rer. quotid. cap. 24. licet olim ex utroque jure certa esset statuta expiatio homicidii casualis, ut latè probavi in cap. 5. Concilii Illiber. Ex qua doctrina inferitur, non esse irregularem clericum adulterum, ex eo, quod maritus ob simile adulterium occiderit uxorem suam, ut probant Castro de lege poenali libr. 2. cap. 14. Diana 4. p. tract. 2. resol. 1. nisi clericus suspicaretur tale homicidium futurum ob nimiam zelotypiam ipsius mariti. Gutierrez lib. 2. canonico. cap. 6. Majolus de irregul. cap. 48. §. 3. quo casu intelligendam esse declarationem Pii V. in hoc casu editam, resolvit Gibalin. dict. cap. 4. consel. 3. Deinde inferitur, consulentem alicui furtum, aut adulterium, etsi homicidium contingat, irregularem non manere. Vgolin. de irregul. cap. 16. num. 6. Item jubentem scemiam ad se venire per loca periculosa, unde eveniat homicidium ipsius, aut abortus, non manere irregularem. Gibalinus d. cap. 4. consel. 8. Nec etiam irregulares sunt, qui advocarunt amicos in sui defensionem, etsi aggressoris homicidium sequatur: nec ille qui consuluit reo, ne appellaret, unde mori contingit: nec confessorius, qui reo consuluit, ut crimen fateretur, unde ultimo supplicio damnatus fuit; non enim illi consuluerunt proximè homicidium. Diana 4. p. tract. 7. resol. 99. Deinde irregularis non manet clericus venationi insistent, licet hominem occidat credens feram esse, adhibita omni diligentia, etsi venatio illi prohibita sit. Sayrus de censur. cap. 6. num. 19. Gibalin. supra. d. cap. 4. consel. 12. Sicut nec ille, qui lapidem ludendi causâ in alium projecit, quem dum fugiens vitare tentavit, vulneratus evasit, cap. exhibita, hoc tit. Sayrus dict. cap. 6. num. 31. nec qui agitationem taurorum procuravit, etsi inde homicidium sequatur fuerit. Gibalin. dict. cap. 4. consel. 13. Nec etiam irregularitatem contrahit, qui fenestram edificavit, ex qua quis se præcipitavit: nec qui mandavit ligna cadere, etsi putator arbore opprimatur; vel aquam haurire, etsi inde suffocetur; vel fabro rectum reficere, & inde cadat: nec qui aliquem misit ad furandum, etsi homicidium sequatur, si nullo modo præcaveri potuit: nec parentes, qui inculpabiliter filios in lecto collocarunt, etsi inde eorum oppressio sequatur; secus verò si culpabiliter, cap. 1. de his qui filios occiderunt: nec qui puerum equitando oppressit, cap. dilectus, hoc tit. Deinde deducitur, irregularem hanc contrahere qui reficit tegulas, si non monuit transientes, & aliquem occiderit: & qui benedixit aquam ferventem, aut ferrum candens, ad pur-*

gationem vulgarem; si homicidium inde sequatur. Tabiena in summa, verbo Irregularitas, num. 18. & qui aliquem joco de ponte præcipitem agit ad incutiendum metum, & casu interit, argumento legis quâ occasione, §. sed si quis de ponte, ff. ad leg. Aquil. qui canem ferocem in alium etiam joci causa concitavit, argumento legis, item Mela, §. item, ff. ad leg. Aquil. & qui torneamenta exercent, si homicidium inde sequatur. Covar. §. 4. num. 6. qui ad pilam ludunt in loco frequenti, si non adhibeant diligentiam, & homicidium sequatur, argumento dictæ legis Mela, ff. ad leg. Aquil. Prosequitur alios casus Gibalinus. d. cap. 4. de irregul. per tot.

Sequitur aliud homicidium, non casu, aut voluntate admisso, sed necessitate, & justè perpetratum. Quod duplici casu contingit, necessitate, aut voluntate. Necessitate, cum quis se, suaque defendendo adhibito moderamine inculpatae tutelæ alium occiderit, quo casu nullam notam irregularitatis incurrit, cap. 2. cum sequent. iusto. cap. significasti 18. §. si verò, hoc tit. Clement. si furiosus, hoc tit. Trident. sess. 14. de reform. cap. 7. Diana tom. 5. tract. 1. per tot. Majolus de irregul. cap. 48. Gibalinus eod. tract. cap. 1. quest. 3. cum unicuique naturaliter liceat ob sui defensionem in valorem occidere, cap. olim. 12. de restit. spol. cap. significasti 3. de poenit. & remiss. leg. 3. ff. de justit. & jure, leg. itaque 4. leg. scientiam 45. §. qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil. leg. 1. §. vim. l. possessionem 17. ff. de vi & vi armata, l. injuriam. ff. de injuriis: latè illustravi in dict. cap. 2. hoc titulo. Si verò non adhibeatur inculpatae tutelæ moderamen, irregularitas contrahitur, quia homicidium voluntarium est, quo casu accipiendi sunt textus in cap. aliis, cap. qui à te, cap. is qui viduam, 50. dist. cap. 2. de cleric. pugnant. in duel. cap. olim. 12. de restit. spol. cap. perpendimus 23. de sent. excom. Concil. Tribur. cap. 11. D. Cyprianus lib. 1. epist. 1. D. Augustinus epist. 1. §. 4. & libro 1. de libero arbitrio, cap. 5. Inde inferitur, irregularem non esse eum, qui alium occidit in sui defensionem, etiam si suâ culpâ se iniecit in necessitatem occidendi invasorem, si tale homicidium prævidere non potuit, veluti si adulter invasus à marito ipsum occidat, cum hoc periculum prævidere non potuisset. Econtrario verò irregularitatem contrahunt se defendentes, si prius ipsum aggressorem verbis contumeliosis laceraverint, quia tunc potius aggressores, quam defensores judicantur. Similiter, qui poterat periculum evadere vulnere inflicto, & maluit usque ad necem procedere; vel si fugientem invasorem occiderit, cum jam liber maneret à periculo invasionis, nisi magnam jacturam honoris inde pateretur; tunc enim ex sententia pluriū interpretum licet etiam fugientem persequi, ut docent Layman, Navarr. Lessius, & Moure, quos referunt, & sequuntur Gibalinus de irregul. cap. 4. diffinuit. 14. Diana 4. p. tract. 2. per totum, qui plures alios casus ex supra tradita doctrina resolvunt.

Voluntariè perpetratur homicidium, sed impunè quoad Deum, primò cum judex compellens causæ criminalis aliquem reum ultimo supplicio afficit, quo casu etsi nulla lege teneatur, tamen irregularis manet ex defectu lenitatis, ut probavi in cap. sententiam, ne clericis, vel monach. Nec solum judex, qui sententiam

rentiam protulit, verum & qui eam scripsit, aut dictavit ut assessor. Suarez de censur. disp. 47. sect. 1. & iudex qui reum in aeternam carcerem coniecit, unde alimentorum subtractione, aut loci intemperie decessit: non autem sit irregularis iudex, qui reum ad triremes damnavit, licet ibi decedat, quia talis sententia nec mortem, nec membri mutilationem continet, ut probat D. Nicol. Antonius de exilio lib. 2. cap. 31. nec etiam clericus irregularis erit, qui iurisdictionem temporalem obtinens causas criminales, vel aliquam specialiter delegaverit laico, qui exinde ultimo supplicio afficiat, cap. final. ne clerici vel monach. lib. 6. nec etiam iudex ecclesiasticus tradendo reum brachio seculari, ut ultimo supplicio afficiatur; non enim intendit directe illius necem, ut probavi in d. cap. sententiam; sicut nec ille, qui legem mortis protulit in perpetrantes tale delictum, vel qui consultus generaliter de aliquo crimine, cum non immineret casus specialis, respondit reum illius delicti poenam mortis dignum esse. Nec etiam irregularitatem contrahit confessarius, qui absolutionem negat iudici nolenti punire reum, cum ipse nullo modo jubeat, aut consulat poenam mortis imponere. Gibalinus d. cap. 4. consecr. 7. difficult. 9. & 10. Proximi sunt iudici accusatores, & testes in causa criminali. Et circa accusatorem sciendum est, eum qui reum de aliquo delicto criminaliter accusat coram iudice seculari, unde sequitur mortis sententia, irregularem esse: si vero civiliter tantum accuset ad satisfactionem damni illati cum protestatione, ne iudex ad sanguinis sententiam procedat, etsi sequatur ultimum supplicium, irregularis non manet, cap. 2. hoc titulo lib. 6. quia accusator non concurrit ullo modo ad ipsam mortis sententiam; quod enim iudex pronunciat exigente iustitia, imputari non debet accusatori, qui tantum emendam fieri postulavit, d. cap. 2. & noviter exigit Bonifac. VIII. praedictam protestationem, quae antea in usu non erat, ut constat ex cap. postulasti, cap. tuanos, hoc tit. notarunt Majolus, Ugolinus, Bonacina, & Suarez relati à Barbosa in collect. ad d. cap. 2. Gibalinus d. cap. 4. consecr. 7. difficult. 11. Diana p. 4. tract. 2. resol. 74. quae Bonifacii constitutio procedit in accusatore, qui satisfactionem intendit damni illati sibi, aut conjunctis personis, non vero si pro extraneis in iudicio compareat; quia tunc etiam cum protestatione sequitur morte irregularis manet. Gibalini d. consecr. 7. difficult. 11. Nihil tamen interest, an verè, vel fictè protestatio fiat, videlicet animo sumendi vindictam, quia de hac occulta animi intentione non iudicat Ecclesia. Diana d. tract. 2. resol. 75. plures congesti à Barb. & Gibalino supra. Si autem quis accusationem criminalem non instituat, sed tantum furem detineat, ut ablata restituat, vel indicia exhibeat, ut furti aliquis convinci possit, si faciat tantum ad res proprias recuperandas, irregularitatem non contrahit cap. tua nos, hoc tit. unde excusatur D. Chrysothomus, qui publice Eutropium Consulem praesente Arcadio Imperatore objurgavit, unde Imperator illi caput amputari iussit, teste Cassiodoro lib. 10. histor. cap. 4. Tandem asserendum est, accusatorem etiam cum protestatione pendente accusatione ad sacros ordines ascendere non posse, cum interim poenae talionis subiciatur; & si defecerit in ipsa accusatione, ut calumniator puniendus sit, ex traditis in cap. 1. de calumniat. Circa testes causae criminalis sciendum est, eum qui testimonium perhibet

in causa capitali, unde mortis sententia sequatur, irregularitatem contrahere, ex traditis in cap. sententiam, ne clerici vel monachi, five ad delictum probandum testis producat, five ad ipsam tantum sententiam proferendam simul cum notario, etiam si invitus testimonium dicat. Diana dist. tract. 2. resol. 31. & 32. nec ulla protestatione similis testis excusabitur. Gibal. dist. consecr. 7. difficult. 15. Eadem procedunt in advocato accusatoris, qui etiam irregularis manet; secus vero in advocato rei, nisi ejus culpa, aut imperitia mors sequatur, cap. hi qui 13. quasi. 8. Diana supra, resol. 34. talis enim defensio etiam clericis permessa est, cap. reos, 23. quest. 5. cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. 1. de postul. Gibalinus difficult. 16. Majolus de irregul. cap. 9. Alietiam homicidio iusto irregulares manent, veluti procurator, tabellio, licitor, illi qui funem suspendunt, scalas apponunt, aut alio modo immediate concurrunt in necem rei: non vero si remotè, ut qui funes, aut scalas fabricarunt, qui reo stuant, ut altiore scalae gradum ascendat, qui pulsat campanam ad populum convocandum. Diana pag. 3. tract. 5. resol. 29. & 46. nec etiam irregularitatem contrahunt spectantes reum ad supplicium, si sua praesentia auctoritatem non praebent, alias irregularitas contrahitur, cap. ex litteris, de excessib. Pralat. ubi notavi etiam ex homicidio in bello iusto commisso irregularitatem nasci, ut latè dicemus infra in cap. petitio.

His suppositis ratio praesentis impedimenti, quare videlicet homicida non possit promoveri ad ordines, nec in eisdem ministrare, duplex est. Prima, quia clerici, qui consecrantur altaris ministerio, ubi iugis sit memoria passionis Christi, qui cum in ara crucis occideretur, percussus non percutiebat, ejus imitatione non debent esse percussores; nam ut Ecclesiast. cap. 10. dicitur: Secundum iudicem populi, sic & ministri ejus. Secunda, quia juxta illud Pauli ad Timotheum Oportet Episcopum sine crimine esse, non violentum, non percussorem, &c. ut habetur in cap. unum orarium, §. nunc autem, 25. dist. & juxta illud Levit. cap. 21. ubi dicitur, superna voce ad Moysen dictum fuisse: Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo, qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus. Quod etiam habetur in cap. 1. 49. dist. & facit Hormisdas Papa relatus in cap. sacerdotes, 61. dist. ubi ait: Irreprehensibile esse convenire eos, quos praesse necesse est corrigendis. Ecclesia in ministris suis pulchra esse debet, sine ruga, & macula; juxta illud Cantic. cap. 4. & textum in cap. 2. de immunit. Eccles. in 6. quam rationem adducunt D. Thomas 2. 2. quest. 40. articulo 2. Praepositi in dict. cap. miror, 50. dist. Soto libr. 5. de iustitia, quest. 1. articulo 4. unde Ecclesia noluit sanguinolentos viros ad ordines admitti. Faciunt quae adduxi in cap. sententiam, ne Clerici vel monach. & apud Gentiles adeo funesti à sacrificiis offerendis arcebantur, ut Pontifex funere, aut morte contaminatus sacra tractare prohiberetur. Probat elegans, & ignotus ad rem textus in leg. pergit, 5. vers. Quod quidem, C. Theodos. de sepulchro violato: & ex aliis probat Briffonius de formul. pag. 7. ideoque Pontificem Maximum funeri astruisse, velamine interjecto, quod Pontificis oculos à funere arceret, docent ex Seneca ad

II. Traditur de cidentibus ratio,

I. Exp. nunt. vari. text.

ad Marcian. cap. 15. Kirmanus de funeribus lib. 2. cap. 21. Dorleans in Tacitum lib. 1. annal. pag. 151. sumpto ad utramque rem exemplo ex sacris Hebraeorum legibus, de quibus Numer. cap. 29. Levitici cap. 21. Ezechiel. cap. 44. & lib. 4. Regum. cap. 23. nec mortuos intra urbem sepelire licebat, ex legibus 12. Tabular. Ne funestarentur sacra civitatis, ut ait Paulus lib. 1. sentent. tit. 21. §. corpus, juncti l. mortuorum 12. C. de relig. l. 3. §. Divus, ff. de sepulchro violato, leg. omnia 6. Cod. Theod. eod. tit. immo nec familia defuncti funesta admitti poterat ad sacrificia donec expiaretur, vel luctus minueretur: quod referenda est lex directio 15. C. ex quibus causis infamia: quam illustrat Revardus lib. 1. var. cap. ultimo. Facit Origenes de Thren. lib. 8. ubi alloquens Celsum ait: Ecce vestrorum quoque numinum sacerdotes, & delubrorum custodes dexteris servant puras à sanguine causas sacrorum, ut incruentis, impollutisque cade manibus victimas offerant solennes iis, quos habetis pro Diis. Kirmanus supra, & lib. 1. cap. 12. Carranza de partu c. 13. num. 32. & sequent. Inde etiam, tam apud Judæos, quam Gentiles è bello redeuntes ante non admittebantur ad sacrificia, quam prius se expiascent, cap. 31. Numerorum. Philo Judæus de vita Moysis, ibi: Pontifici autem mandavit, ut iustret reversos à recenti cade hostium. Quamvis enim per leges liceat hominem occidere, tamen qui necavit hominem, etiam si coactus & propulsans injuriam, obnoxius videtur, propter antiquam generis cognationem oriundi ab uno capite: hæc tunc fuit iustitiae causa, ut ne species quidem sceleris in eos competeret. Rectè ergo Ecclesia, quæ in ejus ministris petit lenitatem, & mansuetudinem, cap. pœna, cap. unum solum 23. quest. 5. repellit à sacerdotio homicidas. Et quia in homicidio casuali non adhibita diligentia in eo præcavendo quodammodo voluntas datur, quia etsi opus sit inculpatum, non tamen fit adhibita cautela, ne ad homicidium perveniat, ideo cum ex tali homicidio culpa lethalis contrahatur, eo casu irregularitas per sacros canones injungitur. Cum vero homicidium involuntariè contingit adhibita omni diligentia in eo præcavendo, nulla irregularitas incurritur, quia prorsus involuntarium est, nec in eo culpa lethalis adest, quæ irregularitatis pœnâ plectenda sit: nec eo casu jure civili attentio extali homicidio quis puniendus erat, licet primo casu puniri posset.

12. Juxta quam distinctionem homicidii casualis, quodam modo voluntarii, & omnino involuntarii, accipiendi sunt textus in l. eum, §. injuria, ff. de injuriis; ubi asseritur, quod si quis intendens Seium inimicum suum occidere, erravit in persona, & occiderit Gaium, credens esse Seium, pœnâ capitali tenetur. Qui textus difficilis videbatur ex eo, quia dicendum videbatur eum puniri non debere, quia respectu ipsius Gaii nullus intercessit dolus, atque delinquendi animus, qui in maleficiis necessarii desiderantur, l. §. Divus, l. in lege, l. Divus ff. ad leg. Cornel. de sicar. sed consultus contrarium respondit, quia in eo casu licet delinquens non consenserit in specie erga Gaium, consensit tamen in genere, volens injuriam irrogare, quod idem in aliis terminis, & facti speciebus docent Consulti in l. si postulaverit, §. si liber homo, ff. ad leg. Jul. de adul. l. qui aut aliter, §. si quis dum putat, ff. quod vi, aut clam, l. falsus, §. qui alienum, ff. de furis, l. doli, §. 1. ff. de servo corrupto, cum aliis adductis per Gomezium tom. 2. var. cap. 3. num. 34. Nec tunc ob-

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

stant textus in l. illud 3. §. final. cum l. sequenti, ff. de iniur. ubi docetur, quod si quis intendens percutere servum proprium, errore, vel casu percusserit servum alienum, vel liberum hominem, in injuriam actione non tenetur. Nam respondendum est, rectè Ulpianum, & Paulum in eo casu actionem denegare, quia nullus intercessit dolus, siquidem dominus licet in servos suos animadvertere, eosque modicè punire, l. qui servum, ff. de V. O. l. quid ergo, §. si heres, ff. de legat. 1. Leleganter, §. si vendiderit, vers. Planè, ff. de pignor. act. ac per consequens consensus, tam in genere, quam in specie defuerat, qui necessarius est in punitione delictorum. Unde cum nullus dolus eo in casu adest, ideo dominus injuriam actione non tenetur. Nec etiam huic solutioni obstat textus in l. scientiam, §. qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil. ubi docetur, quod si quis se defendendo tertium prætereuntem, vel mediatorem percussit, tenetur lege Aquilia in interesse; & tamen certum est, dolum in eo casu abfuisse, nec consensum adfuisse in genere, vel in specie damnum dandi, sed tantum se defendendi. Quia respondendum est, ad legem Aquilianam non deliderari dolum, sed tantum attendi, an damnum datum sit; & ideo Paulus in dict. l. scientiam 45. §. qui cum aliter, docuit actionem legis Aquiliae eo casu competere, ut docuit Gomezius lib. 3. var. cap. 3. num. 34. & ipsum §. doctè exponit D. Joannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. c. 2. sect. 3. per totam.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam verum est, in delictis affectum, & animum attendi, sed in homicidio casuali cum adhibita non fuit omnis diligentia, quæ adhiberi debebat præcavendo homicidium, voluntas quodammodo adest sufficiens ad peccatum lethale; unde tale homicidium non omnino involuntarium creditur, & sufficiens est ad irregularitatem induendam. Nec obstat secunda dubitandi ratio; nam etsi cum homicidium casuale omnino involuntarium est, aliqua pœnitentia injungatur, ea imponitur propter causam, non propter culpam, sed propter exemplum, ut qui facto suo alios quodammodo ad malos mores provocaverat, pœnitentiæ, & emendationis testimonio ad rectam viam revocet; unde infans, quod magis mirere, delinquentibus pœnitentia imponitur in Concilio Wormac. canon. 18. ibi: Si quis insanens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quam ei, qui sana mente tale quid commiserit: cui quamvis pœnitentia sit imponenda, quia ipsa infirmitas causam peccati fuisse creditur; tantum tamen levior, quam ei qui sanus aliquem occiderit, quantum inter insanum, & sanum, irratiabile, & rationale constat esse discrimen. Eos etiam, qui in bello publico homicidium perpetrarunt, pœnitentiam agere debere, constat ex Beda in Pœnitentiis, cap. 3. ibi: Qui casu homicidium fecerit, unum annum; qui in bello publico, dies quadraginta pœniteat. D. Basilio ad Amphilocho. can. 13. ibi: Cades in bellis factas Patres pro cadibus non imputaverunt, ut mihi videtur ignoscentes eis, qui pro pudicitia, & pietate decertant: rectè autem forte habent consulere, ut qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant. Licet ergo pro homicidio casuali imponatur pœnitentia, non tamen irregularis manet; nam ea irregularitas non provenit ex delicto, sed ex defectu lenitatis. Ex hucusque traditis interpretari possunt textus ferè omnes hujus tituli, junctis adductis in eorum notis.

13. Dissoluitur dubitandi ratio.

Z 3

CAPLIT